

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# IN FESTO PASCHATOS.

*Evangelium Marc. 16. v. 1. -- 9.*

## EXORDIUM.

**C**Um Israëlitarum agnum Paschalem mactassent, ejusque sanguinis beneficio ab Angelo percussore redempti, Egypto egressi, & sicco pede per mare rubrum transiissent: ubi oculis suis spectarant, quomodo Pharaon cum omni exercitu suo in mari rubro fluctibus opertus & suffocatus esset: præclarum Epinicion Deo cantarunt: Maria, Mosis Soror cum tympano præcessit: egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris, dicentes: Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum & adscensorem ejus dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, iste Deus meus, & glorificabo eum &c. Paulò post, pluit illis Deus manna ad manducandum, frumentum cæli & panem Angelorum dedit illis, Psal. 78. v. 24. 25.

Nos quoque Dilecti! hætenus de Agno nostro paschali, in concionibus passionibus audivimus, qui est Christus pro nobis immolatus, 1. Cor. 5. v. 7. quomodo scilicet per illum ab Angelo percussore liberati, & infernalis Pharaon, mors & Diabolus, cum omni suo exercitu in mari rubro, sanguinis Christi, quem in arâ crucis profudit, submersus sit: In illo enim habemus redemptionem, per ipsius sanguinem, & remissionem pecca-

torum, Col. 1. v. 14. Jam opportunum erit, ut Redemptori nostro Epinicion cantemus dicentes:

Christus resurgit, plaudite!  
Qui nos redemit crimine:  
Hoc pro Paschali gaudio  
Nunc dicimus grates Deo.

Quemadmodum vero ibi ad redemptionem ex Egypto manna, seu frumentum cæli pluebat: Ita quoque spiritualiter redemptionem per Christum factam, manna Evangelicæ consolationis sequuta est, Angelo mulieribus prædicante: Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hîc. Ecce locus, ubi posuerunt eum: Sedite, dicite discipulis ejus & Petro, quod præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Hoc egregium solatium Paschale fuit, quod nobis omnibus adhuc hodiè lætitiæ am gignit; Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Meditabimur pro instituti ratione

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.